

ANTONII CAESARIS  
 M A R T A L   T H E R E S I A L  
 LIBER SEXTUS.

---



E postquam expedit Lanshutti e rebus, & hostis (1)  
 Captivas acies justo cum milite cinctas  
 Dimisit, quo Theresiae mandata juberent;  
 Abripuit sese Laudon, ubi Glacia surgit.  
 Surgit & haec eadem sublimi in vertice faxi:  
 Hoc & inaccessum est penitus, nam tramite recto,  
 Haud secus ac oritur radix, sic definit altum  
 In caput, & nulos humeros, nulosque corymbos  
 Exerit: & si quis natus quondam extitit illic,  
 Hunc Borussiacus mox decollavit ad unguem  
 Scalper, ut aequali rupes contendat amissi.  
 Hanc super erigitur solidis arx condita muris,  
 Excelsisque minis illam, pennisque coronat,  
 Et munimentis geminis invicta superbit.  
 Hanc alias nemo poterat sperare domandam  
 Obsidio, assaultu, grava est quod frugibus, alto  
 Indita quod saxo, & libella extructa fideli.  
 Non modo diffisus sed eandem reddere Laudon  
 Theresiae; senis quin expugnavit in horis.  
 Quam contra tumulos eduxerat Harsius olim  
 Ter quinos, stygias moles aptarat & illis:  
 Harsius, in tali qui nulli est arte secundus,  
 Obtinet at primas, laudes excedit & omnes.

Ex hujus regione arcis, pomoeria juxta,  
 Edita surgebat turris, quae dicta sagitta,  
 Quod similis forma, & triplici cuneata figura:  
 Atque eadem telis, & multo milite foeta.  
 Aggreditur Laudon illam, nec sanguine largo  
 Occupat: occisis aliquot, plerique vacanti  
 Se portae intrudunt hostes, quae condita rupis  
 Sub pedibus, secumque metus, pariterque tumultus  
 Invehitur: partim ergo stupet, partim expedit arma,  
 Et pugnae accingit, partim contendit in arcem.  
 Conspicit haec Laudon, captae de culmine turris,  
 Illius aspectus siquidem tendebat in urbem:  
 Nec sinit, evadat, delataque utitur ansa.  
 Pergit ad assultum, primoque invadit in urbem  
 Impete: tum vero gliscit timor, occupat omnes,  
 Omnibus armorum cura excidit, omnis ad arcem  
 Tendit, & assimilis terror dominatur ibidem.  
 Pars sociis aperire fores, pars claudere contra  
 Hostibus incumbit. Rixas litemque diremit  
 Protinus at Laudon, & magno robore portam  
 Impulit obnixus, terraque affigit adactam.  
 Tum Borussiacis missus ruit Austrius intro;  
 Dimittant & ut arma manu, jubet: ilicet arma  
 Projiciunt, veniamque rogant, veniamque rogatam  
 Pro vita exorant, pro libertate negatur.  
 Sunt manicis addicta virum duo millia supra,  
 Hosque super multos etiam ferrum hausit, & ignis.  
 Quis poterit frugum omne genus libare canendo,  
 Horrea rumpebant quae plurima plena? Quis omnes  
 Armorum inumeras species? Tormenta reperta  
 Sunt inibi centum molis majoris: & illa,  
 A quibus exusta est nequidquam Ultitia quondam.

Sunt

Sunt etiam totidem formae brevioris adepta;  
 Argenti, cufique auri quoque copia multa:  
 Omniaque haec Laudon senis lucratus in horis.  
 Interea vero solers Fridericus, ut arcis (2)  
 Obsidium istius solvat, prout Scipio quondam,  
 Italia ut fōspes fieret, Carthaginis urbem,  
 Sic ille impetiit Dresdam, sed id alite laeva:  
 Quippe, ut Praga prius, mox inde Ulmitia, flammis  
 Sic fēse indoluit laceram, non Dresda subactam.  
 Rex ferme admovit turmas, pomoeria cepit,  
 Moenia concussit, sparsitque incendia late,  
 Affiliensque adiit; nequidquam at cuncta fuere.  
 Excubuit semper, semperque infraeūtus ubique  
 Marquirus praesens: gravius discriminēt ubi esset,  
 Advolat huc idem: flammae grassantur in urbe,  
 Est praefato extinctum, & medio versatur in igne.  
 Hostis ad assultum tendit, sub margine muri  
 Adstat, & exacuit socios dictisque manuque.  
 Corpore nec tantum Borussi reppulit ausus,  
 Ast animo, quando promissa ingentia temnit  
 Polliciti veniam; liber prodiret ut urbe  
 Miles, & arma ferens, & signa expansa per auras.  
 Quin etiam obfessa vulgavit in urbe triumphos,  
 Dum resonis cecinit lituis, quod Glacia capta.  
 Promptior Austriacis sic confidentia turmis  
 Crevit, & indigenis: & contra audacia fracta  
 Est Borussiacis, & spes defloruit omnis.  
 Denique Marquirus, quae singi munera possunt,  
 Quaeque vel optari, Dresdae tueretur ut urbem,  
 Non tantum absolvit, consumpsit at omnia prorsus.  
 Nec vero leviorem operam, juxtaque laborem (3)  
 Impendit Vasquus: parili sudore vel ultro

Immaduit, parili vel pulvere sordidus ivit;  
 Prodigus ut vitae quodvis discrimin obiret.  
 Nec suus incassum cecidit labor: inde subortus.  
 At sibi magnus honos, & Dresda est reddita sospes.  
 Subsidium invexit siquidem, Borussus ut esset  
 Viribus obnixus validis prohibere parantem:  
 Sed frustra, & vacuis inglorius obstitit ausis.  
 Armipotens ardor cunctorum in pectore porro (4)  
 Est velut accensus: qualis sua cuique facultas,  
 Sic totam exeruit, Borussi infringat ut iras.  
 Sic illam explicuit mira virtute Riedis:  
 Est hostem aggressus stantem pomoeria juxta,  
 Assultusque adeo constans iteravit, & acer,  
 Ut demum expulerit capta statione, viamque  
 Straverit, atque alias acies induxit urbi.  
 Quo simul obtento, rursus lituique tubaeque  
 Increpuere, viasque omnes obiere sonando  
 Marquiri jussu populos animare volentis.  
 Si reliqui proprias sunt nixi intendere partes,  
 Quid non est Daunus? curis quibus ille pepercit? (5)  
 Vel quid non oneris subiit, certique pericli,  
 Cum properavit iter? turmas admovit ad urbem,  
 Ingressusque fuit, flamas versatus & inter  
 Exacuit, docuitque suos contemnere mortem:  
 Et muros obiit praesens, lustravit & arces,  
 Subsidia immisit mutilas explentia turmas:  
 Idque parum: exermes veluti jam reddidit hostes:  
 Cum fuit obsidio sublata Ulmitia quondam;  
 Nunc & id incubuit. Classis properabat in Albis  
 Adverso fluvio, cui quadraginta carinae  
 Frugibus omnigenis, variis onerata vel armis.  
 Dejiciat pessum naves, uratve, Riedi (6)

Impo-

Imposuit Daunus, proprii si reddere juris  
 Copia nulla foret. Volat ilicet arduus heros:  
 Et partim illarum, Cereris queis multa facultas,  
 Occupat; & partim, fuerat queis sarcina foenum,  
 Dedit immissis flammis: queis condita tela,  
 Scandit, & ad fluvii ripam compellit adeptas.  
 Mox partem ejusdem classis, quae pone secuta, (7)  
 Dum fortes ageret Sclavos, fortissimus ipse  
 Invadit Dinhoffus, eamque ibi sistere cogit;  
 Arbitriique sui reddit, sive ignis, & undae.  
 Tum validam invadit turrim, cui copia multa  
 Pulveris inferni, subigit: productus apricos  
 Pulvis & in campos, abiit succensus in auras.  
 Hae postquam incensae, pessum vel iere carinae,  
 Tunc sua Borusso spes usta exaruit, & tunc  
 Dresdae expugnandae spes mersa obmutuit undis.  
 Hinc excedendum quoniam sibi, viator abire  
 Si minime potuit, discedere nescit inultus;  
 Vindictaeque cupit monumenta relinquere Dresdae.  
 Diluvies flamarum ingens ideo ingruit urbi;  
 Hinc conflagrata, & rapido confudit in igne  
 Maxima pars ejus, cum debacchatur ubique,  
 Et cum Vulcanus laxis spatiatur habenis.  
 Exitus hic Pragae quondam fuit, exitus idem  
 Accidit Ulmitiae, fortita & denique Dresda est.  
 Postquam Borussus, qua flamma excanduit irae,  
 In Dresdam exeruit, prope totam involvit & igne,  
 Quod spes incassum, totus labor irritus isset,  
 Est sibi decretum evulsis excedere signis.  
 At recte ut caveat, ne terga incurreret hostis,  
 Concubia sub nocte movet, seque abripit illinc,  
 Extrahere exoptans tempus, pugnaeque pericla.

At

At suberat Dauno longe sententia dispar. (8)  
 Ante nives camposque gelu quam vestiat, ante  
 Frondibus exutis pauper canescat & arbor,  
 Stat conferre manum, & summum certamen inire.  
 Propterea insequitur semper post terga; latusque  
 Lacyus hinc dextrum, Laudon petit inde sinistrum.  
 Progreditur juxta lento pede Bekius hostem,  
 Ut terga invadat, cum pugnae efferbuit ardor:  
 Si vero acciderit, fusus Borussus ut esset,  
 Objiciat sese, frontemque incurrere possit,  
 Dum reliquae turmae caedunt frontemque latusque.  
 Rem nunquam melius poterat disponere Daunus;  
 Exitus ut tandem felix accederet, utque  
 Sic debellatum, fractus Borussus & esset,  
 Jamque aderat veneranda dies, qua fulgida Mater  
 Auxilii, vallem gemitus, desertaque linquens,  
 Dilecta que innixa suo, convexa petebat  
 Alta poli, reliquas supra sublimia sedes,  
 Coelicolis nullis, mortali adeunda nec ulli.  
 Aligerae occurrunt acies nono agmine densae,  
 Et buxo impellunt chordas, & carmine chordas  
 Excipiunt, festumque canunt paeana supernae  
 Reginae Dominaeque suae; laetantur & omnes  
 Unanimes decorique decus, quod & addita Coelo  
 Gloria, quod Coelo Coelum formosius adsit.  
 Tum veterum series duxit sese obvia Patrum,  
 Regia regali sata quorum a sanguine Virgo;  
 Gratanturque sibi, gaudent, laetantur & illi.  
 Ergo quod aethereis festum celebratur in oris,  
 Hoc etiam ut nostro Daunus celebraret in orbe,  
 Et simul efficeret, recolat suus hostis id una,  
 Tympanaque incussis pulsentur utrinque bacillis;

Cornua-

Cornuaque, lituique, tubaeque, & martia moles  
 Plurima festivo reboent per inane fragore:  
 Est sibi decretum summa decernere pugna.

Exitus ut vero felix contingat eidem, (9)  
 Et sedem ducibus cunctis addixit, & horam,  
 Ut moveant, teneant decreto & tempore. Primus  
 Occupat hic sedem Laudon, praevertit & horam,  
 Et fese accingit facinus praestare, quod olim  
 Praestiterat, quod semper erit praestare paratus.  
 Id simul exhibeat, nulla est sibi vivere cura.  
 Illius admonitu juga Wolferstorffus adivit,  
 Hockiren queis nomen inest: se jungat ut ipsi,  
 Mox Laudon ingressus iter: maturius autem,  
 Qua potis, id praestat, Borusso ignarus ut iret.  
 Ergo movet laetus, secum laeta agmina dicit,  
 Oceano postquam Phoebus caput abdidit undis,  
 Aemula Cymmeriis & nox egressa cavernis  
 Occuluit terras piceae caligine pallae.

Interea vero, quo nulla sagacior aetas, (10)  
 Rex Borussiades sub eodem tempore noctis  
 Excubias solitas, praecursoresque reliquit  
 Ligniti in castris, atque agmina caetera secum  
 Abripuit, carpitque viam festinus, inire  
 Occupet ut princeps, Laudon quae claustra petebat.  
 Quod vero peteret, quidam sibi prodidit ante,  
 Austriadum a castris qui clandestinus abivit.  
 Ergo ubi mox Laudon fauces devenit ad arctas,  
 Quas sibi delatum est a certo auctore teneri  
 Ab gemina Hussaridum turma, peditumque maniplo,  
 Imperat hos contra propere contendere. Jussus  
 Ut primum invexit se Nevendorffus, abegit  
 A capta statione procul, flexusque malignos

Occupat: insequitur Laudon, montesque propinquos  
 Strenuus ascendit; cum vero evasit, eosdem  
 A Borussiacis equitum peditumque catervis  
 Suspicit obiectos, Mavortis & undique moles.  
 Horruerint alii, & gelida formidine sanguis  
 Haeserit in venis, sensu tamen ille timoris  
 Haud minimo tactus, contra irritatus ad iras;  
 Versus & ad socios robusta ita voce locutus.  
 Et decori vertet nostro, & pugnare necessum est.  
 Ut virtutis opus, si quinque invaserit unus,  
 Sic virtutis honos, si quinque ejecerit unus.  
 Ista evadendi ratio suppetit; ista  
 Et monet, & cogit pugnam miscere negantes.  
 Si fugimus, profugos illi, mora nulla, sequentur,  
 Et numero plures armorum indagine cingent.  
 Quam tergum, malim ipse libens mea pectora caedant.  
 Haec quoque si menti sedeat sententia, mecum  
 Tendite; victoresne erimus, vincamur an ulti,  
 Nil refert, modo noster honor, modo gloria constet.  
 Dixerat: assensus velut ore erupit ab uno.  
 Quae te, nos omnes maneat fors aequa, rogamus:  
 Quippe mori tecum vita est acceptius ipsa:  
 Te sine vita foret diurnae mortis imago.  
 Sic etiam juxta cryptas, & inania saxa  
 Aera si quisquam feriat clamoribus, echo  
 Excipit offensas voces, lateque remittit,  
 Ingeminantque repercussae, rupesque resultant.  
 Post dicta invadit fervor mavortius omnes,  
 Insculptusque genis oculisque micantibus ardet.  
 Tum passim auditur murmur, quale assolet esse,  
 Cum maris unda subit scopulos, vacuisque remugit.  
 Promovere pedem, passu incubuere citato;

Effu-

Effudere pilas plusquam vice simplice, ferrum  
 Audaci strinxere manu; plus vulnera centum  
 Influxere: stupet pubes Borussa, putatque  
 Tot furias Erebi, quot tendere conspicit hostes.  
 Haud mora fit: captos montes quasi jussa relinquit:  
 Caetera quin praeter, plus septuaginta curules  
 Deseruit moles, valles & tendit ad imas.  
 Quos tamen insequitur, campis & adeptus apertis  
 Austriadum festinus eques, rapidamque machaeram  
 Incutit, infringitque iterum, multosque trucidat,  
 Qui numero fuerunt geminae legionis ad instar.  
 His igitur partim expulsis, partimque peremptis, (11)  
 In juga tum Laudon gaudenti pectore fertur:  
 Tristis at aspectus discussit gaudia; nullos  
 Degeneres sensus excuso in corde sed edit.  
 Unica cura subest acies subducere cladi.  
 Dum Borussiacus quod sese exercitus alas  
 Explicet in geminas, cernit, conjectat & inde,  
 Quod velit Austriacas turmas complexus obire;  
 Scilicet ut cladem regerat, quam rettulit olim,  
 Agmina Foquetti quando deleta fuere.  
 Id tamen haud vidit, montis dum culmen adiret;  
 Nam nebula oppositos late contexerat agros.  
 Illa ubi disjecta est ventis, tunc hostis apertus.  
 Quid nunc, quid Laudon? Minime despondet: at idem,  
 Qui fuit ante, modo est. Acies ne prima tot hostis  
 Obruta sit jaculis, penitusque attrita, propinquis  
 Subsidiis jussit, socios fulcire labantes  
 Ut properent. Adfunt praefto. Quo denique facto,  
 Tum Borussiadum totis cum viribus auctis  
 Contrahitur pugna, & parvo pro tempore saevit.  
 Bis ruit assultu, & toties fugit hostis abactus.

Desinat in certam sed ne res denique cladem,  
 Consilii duxit Laudon excedere, magnum  
 Dum numerum haud posset parvo tolerare suorum.  
 Accidere si d potuit seclis ferme ante peractis,  
 Extitit in forti virtus cum bellica dextra,  
 Nec procul ingruerent bolides, nec plumbea tela.  
 Quas contra infernas nihil impenetrabile pestes  
 Tempore praesenti, quo plumbum infestius aere,  
 Cui non Alcides, non obvius iret Achilles;  
 Exigua quin glande foret trajectus uterque:  
 Et gemat, a segni fuerit quod milite caesus,  
 Qui tot monstra manu, tot straverat agmina victor.  
 His argumentis Laudon ubi ductus, abire  
 Decrevit, jussaeque tubae cecinere receptum:  
 Ut quod non poterat numero praestare minori,  
 Ingenio praestare loci sibi copia fiat.  
 In vius ascensu collis, tergoque supino  
 Surgebat non inde procul. Jubet, agmen ut illuc  
 Contendat pugnamque serens, raptimque facefens;  
 Et secum evolvat non parva tonitrua belli.  
 Huc ubi deventum est, eadem vertuntur in hostes,  
 Ictibus & primis pavidos excedere cogunt.  
 Tum reliquos Laudon socios ire ordine cogit:  
 Extremus porro agmen agit, vertitque subinde  
 Ardentes oculos visum, Borussus an instet,  
 Cedentesque velit penitus delere catervas.  
 Certus & ipse, suis miles quoque certus ibidem  
 Ante mori, quam velle fugam consciencere turpem.  
 Sed quoniam urgebat nullus, Borussus & aequo  
 Haud animi nimium laetus, regressus abibat;  
 Agmine pacato Laudon ideo inde recessit.  
 E sociis idem defunctos lumine vitae

Mille & quingentos oculis humentibus ursit:  
 Indoluit plures aut ferro, aut ignibus i<sup>c</sup>tos.  
 Non adeo gemuit, numerus quod major utrisque  
 Per juga palantes, saltusque abidere propinquos;  
 Quandoquidem reduces omnes ad signa revisit.  
 Quot contra e sociis flerit Borussus ademptos,  
 In dubio est nobis: certum, primo impete Laudon  
 Quod procul ejecit captis e montibus omnes,  
 Et modica non strage jugis mutilavit abactos,  
 Abstulit & moles plus sexaginta curules,  
 Deseruit quas inde: minus deserta fuere,  
 At secum evexit duodena insignia belli.  
 Idque palam est pariter, cum primum exercitus ingens  
 Irruit, Austriacosque semel, rursusque petivit,  
 Quod semel, & rursus fuerit cum caede repulsus.  
 Id bene compertum. Quid porro externa tabella  
 Venditat, inficior. Centum forte illa recenset  
 Seu casu extintos, tenui seu vulnere laesos.  
 Scilicet Austriacis fuerat modo plumbeus ensis;  
 Et Borussiacis solido ex adamante rigebat:  
 Scilicet Auftriaci fragiles sparsere juglandes;  
 Et Borussiaci glandes ex aere recocto.  
 Quod reliquum est, Laudon factio laudandus utroque,  
 Seu quia contraxit pugnam, detrectat & inde.  
 Contraxit, spes esse sibi quia visa triumphi:  
 Detrectat, quia clavis erat spes multa timenda;  
 Theresiae & magnae parsit quia seque, suosque  
 In lucrum illius cupidos discrimen obire,  
 Quo fuerat conspecta sibi spes aequa, metusque;  
 Sanguinis & dubii pretio redimendus uterque.  
 Laudonis laudent alii prisca inclyta facta;  
 Quod juxta Hockiren montes evasit in altos,

Sicut

Sicut inaccessos, tectos ita noctis ab umbra,  
 Hostibus ignotus, multis nec cognitus ante,  
 Quam mortem intulerit, quod & inde a vertice montis  
 In planum exiluit, clades & cladibus auxit:  
 Quodque ubi se junxit Russis, vidiisque labantes,  
 Restituit; palmae certos & contudit hostes.  
 Quodque ubi Lanshutti ducibus claustra invia multis  
 Obvia non tantum, sed operta a sanguinis amne  
 Reddidit; infensasque acies delevit ibidem.  
 Omne quidem facinus meruit praeconia multa:  
 Hoc tamen, hoc unum praeconia quaelibet ultra est.  
 Tunc ubi pugnavit, miles pugnavit & una  
 Hostibus aequalis: nunc porro haud nomine solo,  
 Sed Gedeon factis; siquidem vix millia dena  
 Duxit, & opposuit plus quinquaginta virorum  
 Millibus; & quamquam haud viator, sed fosphes abivit.  
 Quam prius emeruit, turmis communis habenda est:  
 Ingenii laus ista sui, virtutis & una.  
 Ingerere huic laudum cumulos vellem ipse; minorque (12)  
 Est opus ut taceam: magnae laus detrahet impar.  
 Nam quid ego? Laudum Laudonis summa putanda,  
 Theresiae sacris digitis descripta tabella,  
 Atque eadem cunctas inter recitanda phalanges.  
 Dulce caput Laudon; mihi quamquam infausta recurrit  
 Illa dies, qua Virgo Parens evasit ad astra;  
 Est hosti infesto quoniam delata facultas,  
 Ut pugnam effugeret, belli quae meta fuisset,  
 Inque tuas acies se plurimus intulit erga  
 Breslaviam straturus iter, qua viribus una  
 Collegetis Russos nostris fecerneret armis;  
 Hic tamen infelix casus nil detrahit altae  
 Virtuti, laudique tuae, meritisque ducumque,

Militis & reliqui: quae fulgida quisquis adeptus,  
Auspicio conserta tuo quibus ultima pugna est.  
Quin laudem es meritus, quod jussa impleris ad unguem  
Atque ubi res cecidit, quod rectam acceperis ansam,  
Judiciique acies quod rara exerta cavendo.  
Crede mihi, nunquam ista mea de mente recedent,  
Saepe sed occurant justo recolenda favore.  
Attulit & nostro multum solaminis, atque  
Laetitiae cordi virtus generosa ducumque,  
Militis & cuncti, verbis aperire disertis  
Es mihi quod nixus tu judex, testis, & index.  
Excedetque animo nunquam par reddere gestis.  
Sit tibi compertum, quod nostra haec grata voluntas  
Agminibus vulganda tuis. Mea maxima porro  
Spes est freta Deo, quod copia fiet in anno  
Vertenti, ut pateat, numerus quod vicerit hostis,  
Bellica non virtus; totusque id noverit Orbis,  
Vos ubi pro merito plene conspexerit ultos.  
Id reliquum, velut ipsa tui sum certa vigentis  
Ingenii, curae, studii; sis certus & aequus,  
Obsequiis addicta tuis quod grata manebo.  
In cunctas acies postquam sententia Matris  
Austriacae recitata, & hiulcis auribus hausta;  
Tunc passim exiluere; & io! cecinere, triumphe!  
Alter in alterius totus ruit oscula; currit  
Alter in amplexum alterius: qui fauci, & qui  
Ilia vix dicit, fusi meminisse cruoris  
Pernegat, enormes & suscepisse labores.  
Sed gaudent utrique: furor subit; impetus ire est  
In Borussiacos, & toto incumbere nisu:  
Ac reliquum in venis quod sanguinis extat, & imis  
Roboris in nervis, studium est impendere rursus,

Ut

Ut Dominae obsequio possint servire benignae.  
 Ac prope seditio nata est, serpitque tumultus,  
 Quem modo Laudonis nutus, reverentia vultus  
 Cogit in officio, monuitque exquirere votis,  
 Quod nequeunt opera, donec nova copia fiat.  
 Austriadum hi sensus; dispar sententia Regis (13)  
 At Borussiadae est, alio qui laetus abivit,  
 Et sibi qui visus merito cumulandus honore;  
 Quod capiti instantem non solum avertere cladem  
 Evaluit, verum multam rejecit in hostes.  
 Hinc veritus, properet ne terga invadere Daunus,  
 Officio functus se protinus inde recepit.  
 Hunc Daunus, res umbra velut sectatur euntis,  
 Urget: & appositum postquam sortitus uterque  
 Ingenium campi, castra e regione locarunt.  
 Oppida at ad laevum cornu quia bina jacebant,  
 Utraque & Arndorffi Germano nomine dicta,  
 Haec Borussiades contra properavit, ut alam  
 Latius extendat. Daunus praevertit eundem,  
 Ut sibi solempne est: & Bekius illa tueri  
 Missus adest praefecto. Res ergo erupit ad arma.  
 E Borussiacis haud contemnenda caterva  
 Protinus invadit, denas evolvit & illuc  
 Ignivomas moles. Acies generosa volonum  
 Intus erat custos, quos fida Silesia legit.  
 Strenuus invadit pagos Borussus: at horum  
 Pro numero turmas submittit Bekius aequas  
 Tres pilanorum mox inde adjecit iisdem  
 Dauniades: parva totum certamen ut esset  
 A pugna exortum, renuit Borussus inire  
 Id tamen, & signis recipit sese inde revulsis;  
 Integer haud vero, numerus nam major ademptus

Pars

Pars duplo jacuit, quam caesa Silesica pubes.  
 Tres horas etenim tenuit pugna aspera, semper  
 Affiduis flammis, atque imbre extracta pilarum,  
 Queis erat objectus facie Borussus aperta.  
 Sed lateat ne nomen, opem qui rite tulerunt,  
 Adjiciam, gratumque sibi reor esse futurum.  
 Bekiadae jussu properat castella, tueri,  
 Militiae vigor ille, ducum flos ille, Riedis.  
 Is Warasdinos, genus intractabile ferro  
 Infligendo aciem caesim, non cuspide punctum  
 Dicit: & adventus frustra non accidit horum:  
 Namque Silesiaci Borusso enixius urgent.  
 His ubi pilanos junxit Normandus, in ipso  
 Nomine qui praefert, quam claudit pectore belli  
 Virtutem exhibitam vario discrimine: quippe  
 Arctoūm vox illa virum de germe cantat:  
 Insignesque viri sunt creti e germe tali.  
 Inde Silesiacis porro cura excidit omnis,  
 Ut vim propulsent; vim vero inferre cupido est.  
 Profiliunt extra muros, feriuntque, necantque,  
 Quot renuunt hostes pedibus committere vitam;  
 Quotque manu tentant aliis consciscere mortem.  
 Ast ego quid studui tenues edicere pugnas? (14)  
 Nec propero, ut referam longe magis inclyta gesta?  
 Avocor his, totoque libens contendere laetor  
 Corde, Zuipriccus Princeps unde avocat: ille  
 Saxoniae assertor, gentis pacator ab hostis  
 Servitio extortae, vindex & Regis avito  
 E folio ejecti, numerosae prolis ut ulti,  
 Ex urbis latebris addicta ita Martis arenae:  
 Et Wittembergus me Princeps allicit aequa,  
 Auspiciis cuius, cuius victricibus armis

Saxonia asserta est, quivis exactus & hostis.  
 Ille Zuipricco comitem se junxit, & una  
 Haud paucas acies, contenduntque agmine recto  
 Adversus Torcavum, hostes abigantur ut inde.  
 Huc ubi deventum, cunctis e finibus illis  
 Pellendus Borussus, eosque adduxerat Hiilsen;  
 Et qui Torcavi juxta pomoeria latis  
 Aggeribus fossisque acies obsepserat imis.  
 Hasque Zuipricco est decretum expellere ductis  
 Vel munimentis, sua munimenta vel inter  
 Sternere: ut id vero ratione evinceret apta,  
 Transmittat fluvium jussus Luzinskus ut Albim.  
 Qui licet indignans geminis a pontibus ante  
 Vinctus erat; pontisque caput servabat utrumque  
 Haudquaquam spernenda manus, pugnaeque parata;  
 Quam Luzinskiades ubi primum aggressus abegit.  
 His procul exactis, tum Wittembergicus heros  
 Dicit agens, fertique sibi vallaris honorem  
 Ut rapiat, festinat iter: volat arduus, atque  
 Primus it, & socios humeris tenus eminet inter:  
 Inter ut annosas salices cupressus, & ulmos,  
 Erigitur procera, & vertice deserit alto.  
 Nec modo compactis membris & corpore surgit;  
 At belli virtute suis sublimior extat:  
 Hosque agit, auxilium nullus quia poscat ab ipsis,  
 Verum, ut fulmineo quas palmas messuit ense,  
 Communes reddat, quando sibi copia detur.  
 At sua spes ejus votum frustrata fefellit.  
 Qua parte invasit nam Wittembergius, hostis  
 Territus aspectuque truci, gladioque minaci  
 Sedulus in muros sese ilicet intulit urbis.  
 Parte alia vero, quae longe diffita, sese

(15)  
Obsti-

Obstinet; & jecit, jaētos toleravit & ignes.  
 Contudit audentes sed vero Haddichus, & egit  
 Hussaridum turmas aliquas, impegit & actas  
 In latus: hae parcunt glandes torquere canali;  
 At stringunt, alacres stricto abripiuntur & ense  
 In Borussiacos, & eorum quotquot adeptae,  
 Vi ferrum incutiunt valida, similique trucidant.  
 Tum pavor in reliquos valuit, fuga possidet una:  
 Atque ut conslicant, celeres urgentur, & urgent,  
 Inque alios revoluti alii labuntur: & inde  
 Supplex pars urbis, pars claustra invita petivit,  
 Queis neque propositum semet, murosque tueri:  
 Haud procul adversa sed porro erumpere porta,  
 Adnexum cui pontis erat caput: atque ibi rursus  
 Integer invaluit fugiendi, & strenuus ardor.  
 Ergo abigunt, & abaēti adigunt: respectus ibidem  
 Nec comitum, nec cura ducum est: sua si quis in ora,  
 Seu cadat in tergum, seu praecipitetur in amnem;  
 Praetereunt, pedibusque terunt: modo cura salutis  
 Est sibi cuique suae, consultum huic quisquis & optat.  
 Idque Zuipriccus cum primum advertit, eodem  
 Continuo vertit tormenta curulia, pontis  
 Et caput extremum campos tangentis apricos  
 Verberat, abruptumque in fragmina mille redigit:  
 Quique ibi depensi, rapidum volvuntur in amnem.  
 Ac reliqui spectant tristes & littus, & urbem.  
 Hanc adeunt spissi, & fuerat si copia, nollent:  
 Haec quoniam sed nulla subest, cunctantur, & haerent;  
 Rursus & inspiciunt, pars constet an integra pontis,  
 Evasuri illac, muros & inire negantes.  
 Ast ineunt tandem, secumque iniisse queruntur:  
 Ante oculos siquidem manicae versantur, itemque

Ante oculos mentis, quae multa opprobria, quaeque  
 Se contumeliae maneant, carcerque, laborque.  
 Sic etiam in somnis dum saxum ascendimus altum  
 Repentes pedibus, manibusque fruteta tenentes;  
 Ast ubi mox illuc ventum est, venisse dolemus,  
 Et lacerant animum frigus solisque calores,  
 Quaeque ferenda diu sit rerum angustia nobis.  
 His male comprehensis, trepidi tentamus abire:  
 At revocare gradus, averso excedere tergo  
 Ardua non tantum, sed & alea plena pericli.  
 Hinc stupidi haerentes, gelido sudore madentes  
 Nos incusamus, nos contra irascimur ipsos.  
 Ac nisi discussus tot manes pectore somnus  
 Exigat, a vanae penetremur imagine larvae.  
 Larva sed haec contra Borussae in mente catervae  
 Non tantum interiit, verum rediviva lacepsit.  
 Quippe Zuipriccus postquam dejecerat hostes  
 Finibus ex illis, misit, qui diceret urbis  
 Praetori; hanc vietam dedat, captasque phalanges:  
 Si renuat, flamas, ferrumque utrisque minatur.  
 Imperium valuit. Praetor se tradit, & urbem,  
 Captivasque acies, atque illic quidquid inesset,  
 Armorum ut numerus, numerosae & copia messis.  
 Plaude tibi, gratare tibi, tibi Lipsia gaude; (16)  
 Torcavum Austriacae dum vincula gentis inivit,  
 Tum tua dissolvit. Non amplius ergo videbis  
 Inde resarciri muros, alibique ruinas  
 Restitui, jungique novas hic arcibus arces,  
 Atque alia advolvi tormenta ferentia clades.  
 Non aure accipies ultra jussusque minasque:  
 Ut ferrum evadas, auro redimaris, oportet.  
 Torcavum simul audivit sub jura redactum

Austriadum, dejecta metu Borussa facessit  
Gens procul, arbitrioque tuo te sponte remisit.  
Ergo agedum, revoca Musas, artesque benignas:  
Quaque acie mentis polles, paeconia multa  
Texe Zuipricco, Wittembergaque, simulque  
Haddicho, ducibusque aliis, cum libera degas,  
Deditaque exultis studiis incumbere possis.  
Wittembergiacis eadem fors contigit inde:  
Victorem accipiunt, vietumque faceſſere cogunt.  
Urbs est nulla super Borusſo obnoxia juri:  
Saxoniam & totam iusto dominoque priori  
Wittembergiades solita virtute receptam,  
Atque Zuipriccus reddit vel mente, vel armis.  
Aſt ego quas linguas, & quorum ad carmina voces  
Pellicio, ut plaudant alacres, gratentur ovantes,  
Atque affertorum recolant paeconia dictis,  
Saxonia in casum quando revoluta priorem?  
Saxonia Euripo pejor mihi creditur esse,  
In qua non tumidi montes grassantur aquarum  
Montibus objecti, atque abigunt, abiguntur abacti;  
Agmina at agminibus flamarum infesta, sibique  
Obvia, ut expulsa expellant, fugiantque, fugentque.  
Siquid & eſt illi forſan ſolaminis haustum,  
Hoc Berolinensis ferme jaectura propinat.  
Nescio, quis ſenſus, quamvis haud mente revolvant,  
Laetitiae ſubeat cunctis, ubi damna repenſa  
Hostibus advertunt, ſibi pridem illata per ipſos.  
Publica quin tangit levius jaectura: domusque  
Ut tua flagrari, gratum eſt, quia proxima flagrat:  
Incolumis gignit luctum, nec cauſa tenetur:  
Exitium alterius quid enim lucri afferat ulli?  
Ergo ubi Saxoniae gentes ſperantque, timentque;

Dum

Dum semper novus hostis adeat commentus amicum,  
 Ut vincla injiciat sub libertatis amictu:  
 Quod Berolinensi gravior sors accidit urbi,  
 Est sibi delatum; & quoniam prodivit ab illa,  
 Exitii quidquid passae sensere, subortus  
 Laetitiae hinc cumulus, pervadunt gaudia pectus.  
 In Berolinensem Lacyus rapidissimus urbem (17)  
 Fertur agens; potuitque ipsum praevertere Regem  
 Borussum, auxilio propriis ne civibus iret.  
 Cum prope deventum est, tunc Lichtensteinus adivit  
 Praetorem, monuitque jubens, jussitque monendo:  
 Praesidium integrum, seque una dedat, & urbem.  
 Non negat hic tantum se vietum reddere; verum  
 Pernegat id pugnax, se credere posse, quod omnis  
 Austriadum pubes illuc confluxit: & addit.  
 Lacyus advectus solus fortasse veredo est;  
 Non acies omnes, tormenta nec omnia belli  
 Sunt tantum demensa viae: quod cursor & ipse,  
 Strenuus ut celeret, tam curto haud tempore posset.  
 At Lichtensteinus postquam juratus id esse  
 Afferuit verum, nec & index unicus ivit  
 Exploraturus fido cum lumine factum,  
 Credita res, Praetorque celer se subtrahit urbi,  
 Plurimus & miles: remanent tria millia supra,  
 Qui capti fuerant, Berolinumque subactum est.  
 Quod simul ingressus, medianam partem insidet urbis  
 Austriacus, cedit porro pars caetera Russis,  
 Est quorum bacchata nimis petulantia. Regis  
 Invadunt avidi sedes, & quidquid ibidem  
 Est pretii, rapiunt; vilis quidcunque repertum,  
 Projiciunt, pedibusque terunt. Ergo illa supellex  
 Regia, quae multos olim congesta per annos,

Mili-

Militis ignoti , & manibus lacerata calonis  
 Abstrahitur, risumque ciet, plaususque ministrat.  
 Magnifici currus illi, quibus arsit ab auro,  
 Risit & argento facies, in frusta redacti,  
 Tum cumuli jacuere humilis ludibria gentis:  
 Sarcina queis olim fuerunt Regesque verendi,  
 Reginaeque, aliique, pari qui sanguine creti.  
 Id vulgi incoepsum, & patratum ardore rapacis.  
 Sed Gottlebeni contra Procerumque, ducumque  
 Consilium est initum melius, lucroque futurum  
 Ut sibi, Borussis sic damnum infligeret aequa  
 Non modicum . Artificum lecta ergo, & jussa caterva,  
 Omnia delerent armamentaria, quotquot  
 Offendant; quorum arma sinu seu condita, sive  
 Quae nova procudunt; coquiturque ubi pulvis avernus.  
 Mox etiam avecta est vis ferme immensa sagorum  
 Integra, vel minimo quae nemo attriverat usu:  
 Corrasusque fuit numerus quoque plurimus auri.  
 His ita confectis, qua venerat Austria pubes,  
 Hac regressa via est; alia digressaque Russa.  
 Lacyus at porro recta propria agmina dicit (18)  
 Aequor in immensum, Daunus quo castra locarat,  
 In latera, & frontem quorum diffusa patebat  
 Planities: a tergo autem regione remota  
 Silva obscura, ingens, annosaque arbore saltus  
 Surgebat, ramosque suos tollebat ad astra.  
 Hic statio Austriadum fuerat. Novus Annibal autem  
 Rex Borussiacus movit noctuque, diuque;  
 Consiliumque suum texit, quo tendere vellet,  
 Quid paret, ad silvas donec delatus opacas,  
 Austriadum posset qua parte invadere terga;  
 Non adeo ignarus, nec vero inopinus, ut idem

Decipere, aut falsum sperarit reddere Daunum:  
 Non modo propositum tenuit qui funditus omne;  
 Sed bene praevenit, turmasque obvertit in illum.  
 Ad litui vocem, ad strepitum, quem tympana mittunt,  
 Huc equites, illuc pedites decurrere frontem  
 Vertentes, fixoque gradu confistere firmos  
 Cernere erat: vel cernere erat, dum quodlibet agmen  
 Haurit iter, varios illic emergere saltus,  
 Quos structi ursorum referent de pelle galeri:  
 Et simili aeratam segetem procedere passu,  
 Quam tubuli, & fingunt tubulorum in vertice cultri.  
 Jam spatium praeter medium trajecerat axem  
 Phoebus, & a meta paulum distabat Eoa,  
 Latior & summis e montibus umbra cadebat,  
 Cum Borussiadum silvis egressa juventus  
 Explicit semet variis digesta catervis.  
 Plurima praecedunt horrentia fulmina Martis,  
 Diluviem flamiae, tempestatemque pilarum  
 Quae torquent, modicique ipsas, majoris & orbis:  
 Quo stygiae & moles tendunt, hoc ordine miles:  
 Confertimque humeros humeris, pedibusque pedesque  
 Adglomerant nEXi, tenuis ne fiat hiatus.  
 At quid nitantur, quid custodire laborent,  
 Ne rimae pateant, quando contraria moles  
 A tereti plumbo conferta impingitur illis,  
 Et stragem parit, atque sinus recludit hiulcos,  
 Integra & occurrens nec turma obstruxerit illos?  
 Quo Borussiadum porro sese invehit, aequo  
 Austriadum infertur pariter gens obvia passu,  
 Et simili stygiae moles utrinque tenore  
 Explodunt magnos orbes, glebasque minores,  
 Funeraque, & foedas strages utrisque ferentes.

Cum

Cum prope deventum est, manualis fistula caedem  
 Perpetuam reddit, nudusque hanc excipit ensis:  
 Ad quem cum tandem pugna est revoluta, manusque,  
 Tunc vero obtinuit, tunc atrocissima clades  
 Desaevit, quoque illa magis desaevit, in iras  
 Hoc irritatur, rabiem nec sanguinis unda  
 Diluit; at contra exacuit, fodicatque furentem.  
 Accidit id porro plusquam vice simplice, quando  
 In peditum cuneos nubes invexit equestris  
 Austriadum: in cuneos, docuit quos plurimus usus  
 Edere quadrati, & versatilis ordinis agmen,  
 Quo latere expediatur; quorum frons prima sagittas  
 Torsit ubi stygias, aliud se protinus infert  
 Inde jugum, subeunt aequo tum caetera passu.  
 Nec cessant, series donec, quae prima, sit olim  
 Ultima; ab integro reddatur & ultima prima.  
 Dum vero excedunt, nitrum plumbumque canali  
 Injiciunt: est ergo viris solempne tenore  
 Perpetuo tubulis imbrem torquere pilarum.  
 In geminos horum cuneos impegit equestres (19)  
 Magnus Odonellus nimbus: illi impete rapti  
 Incubuere: alacris tum vero inflexa machaera  
 Agmine seu recto, seu dextro & tramite laevo  
 Incidat, horrendum stragis cumulum edit ubique,  
 Et capita abscidit, & truncat, mutilatque lacertos.  
 Hinc fuit, ut, pubes aderat qua strenua nuper,  
 Membrorum strages spectetur, & unda cruoris.  
 Hi equitum assultus adeo valuere, subacti  
 Ut Borussiaci fuerint concedere retro  
 Non semel: ob Regis praefacta at jussa frementis  
 Sex instant vicibus, semper tamen exitus idem  
 Contigit: irrumpunt ut saepe, ita saepe faceffunt,

Qui reliqui potuere: jacet nam plurimā semper  
 Saucia turba virūm, vitae vel lumine cassa.  
 Id vero excudit non tantum assultus equestris (20)  
 Turbinis; at peditum virtus quoque strenua vicit:  
 Praecipue vero Migazzi id aheneus ardor  
 Exhibuit, iussus cuneum qui ducere multis  
 Compactum agminibus [ Danai dixere phalangem,  
 Brigatam Galli ] se laeva invexit ab ala:  
 Fulmineum & caesim gladium, vel cuspide punctum  
 Impellitque, adigitque; rotat tum rursus; & idem  
 Indefessus, & infractus, constansque recenti  
 Robore, defunctus nullis velut ante periclis,  
 Martis & intactam tum primum iniisset arenam.  
 Pugna sit & senas quamvis extracta per horas,  
 Ille sibi similis, robustis viribus ille  
 Incaluit semper, semperque excanduit ira.  
 Credideris refici, restaurarique labore,  
 Ut fuit Anthaeus casu recreatus ab ipso.  
 Id tandem obtinuit vivax Migazzus, ab ala  
 Ut laeva, in primis pugnam miscebat ubi idem,  
 Dextera Borussi saltum sit inire coacta.  
 Tempore quo saltus longe majoribus umbris  
 Non modo tectus erat, sed utrumque involverat agmen  
 Nox tenebris, lucis radios & abegerat umbra.  
 Fumeus & si quis fulgor rutilabat ibidem,  
 Pulvere tartareo cum primum exortus, obibat  
 Offundens oculis tenebras, animisque timorem.  
 Dum status hic esset rerum, Borussus abire  
 Dum properat, dum Migazzus cedentibus instat;  
 Ecce tibi media ex acie se plurima turba  
 Huc rapuit, pariter cupiens se condere silva.  
 In Migazziacos socios offendit & illa

A latere, a tergo, novitque hos protinus hostes.  
Theresia o vivat! fausta nam voce caneabant.  
Emergit nova pugna igitur, quam sensit ubi ortam  
Qui profugus Borussus erat, spem concipit inde  
Non modicam, erexitque animos, seque intulit ultro  
Austriadum in frontem; maculas abolere receptus  
Cui furor absteras hostilis sanguinis unda.  
Acrius irrumpunt, adigunt enixius ensem,  
Vulneraque in dubiis infligunt caeca tenebris  
Saepius. Austriadum nec torpet dextera segnis  
Voce, vel exemplis Migazzi erecta serentis  
Vividius pugnam, quo grandius inde periculum  
Imminet: a cuius facie irritatur, & audet,  
Non labat; ante alios quin imo ardentior urget,  
Supra alios caedit, semetque, aliosque tuetur.  
Sed dubium discrimen erat frontemque, latusque  
Protegere, & tergum: tergum petit hostis; idemque  
Non gladio: gladio proprius nemo ausus adire:  
Audeat ut nemo transfixam accedere tygrim:  
Illi ex oculis trux flamma erumpit, acutis  
Et radiis hebetes reddit, pavidosque tuentes.  
In noctis tenebris sic lumina fulva luporum  
Scintillant, facibusque vagis ardere videntur.  
Hinc Borussiadae non illum invadere nudo  
Cum ferro attrectent juxta: procul imbre pilarum,  
Quem lato effudit moles mavortia ab ore,  
Impetiere: fremit, simul ille est iactus; ineptum  
Se quippe ad pugnam sensit: generosus & esse  
Ut prius incubuit; temere nunc abnuit audax  
Irruere in mortem, stultique incurrere labem:  
Et Borussiacis tradit male fauciis ensem,  
Quem vix fessa manus, vel sanguine sparsa regebat.

Hic dum pugna calet, caedes & plurima gliscit,  
 Sensit Odonellus, nimbumque induxit equestrem, (21)  
 Et mortes cladesque simul. Borussica pubes  
 Austriacam parcit tum demum incessere, seque  
 In nemus intrudit. Socios secum abripit ille,  
 Duxit & in tutum, grates & agentibus egit.  
 Exitus in laeva talis dum contigit, aequus  
 In dextra, medioque eventus in agmine visus.  
 E silva erumpit miles Borussus; at idem  
 In varias ivit turmas digestus, & omni  
 Austriacum contra irarum luftamine tendit;  
 Assultusque iterat senos, graviusque lacepsit.  
 Miles & Austriacus simili conamine nifus  
 Invectosque abigit rursus, rursusque repellit.  
 Consilium at Dauni, & praesentia vicit ubique. (22)  
 Qua videt illatos magnis cum viribus hostes,  
 Illuc delegat numerum roburque virorum,  
 Qui multent, mutilosque fugain consiscere cogant:  
 Quaque laborantes socios, sensimque labantes  
 Conspicit, irritat praesens, hortatur, & urget.  
 Id tandem excudit, serae sub noctis ut umbra,  
 Vel nollent, vellentve, suo sint rursus adacti  
 Condere se nemore, & concedere Martis arena;  
 Integraque Austriacis fuerit victoria parta.  
 Accidit hic autem casus male faustus; & ipso  
 Si non corrupta est victoria plena, recepti  
 Non sunt, quos affert plenos victoria fructus.  
 Dira bolis, scelerata bolis, bolis impia, Dauni  
 Quae suram impetiit, suram trajecit; ibidem  
 Sed non ausa diu consistere, rursus abivit  
 Ex parte adversa, geminoque e vulnere fugit:  
 Ac verita, assimilem quandam ne cedat in usum,

In Styga se timidam , meritusque Acherontis in undas.  
Vulnus ob acceptum cum porro insistere Daunus  
Haud tergo alipedis posset , sese inde recepit ,  
Torcavumque adiit . Cum vero ea diffusa fama  
Vel proprias inter , vel turmas hostis & inter ,  
Ad quem non unus se transfuga contulit , omnis  
Tum penitus rerum facies conversa ; penesque  
Austriacos sensus alacres , & martius ardor  
Conticuit : subiere locum curaeque timorque :  
Ac nisi cum Dauno vincant , prope vincere taedet .  
O quid non possit studium Ductoris , amoreque  
In vulgum impensus , documenta & plurima dantis  
Exhibiti affectus ? Devineti ita militis ecquid  
Non studium , non possit amor monumenta videntis ,  
Et secum mirantis ? Amet , qui poscit amari ;  
Obsequium praefestet , praefesti quisquis id optat .  
Fallitur , & toto Coelo delusus oberrat ,  
Qui patruos effert vultus , animosque novercae  
Induit , atque sibi lucro blanditur id esse : .  
Invidet , invidiae est : odio deflagrat , eritque .  
Liberior res nulla , fides quam pectoris una :  
Exertat sua jura libens , nec vincula sentit .  
Corpus ut his solum , mens sola obnoxia nullis ,  
Tantum oblugetatur , quantum servire subacta :  
Ducitur illiciis , & amantem gestit amare .  
Nec secum ; externi specimen sed & edere sensus .  
Copia si porro nulla est , frigescit , & haeret :  
Segnitiesque subit , pellitque e corde vigorem .  
Hic fuit Austriadum casus : cum Daunus adesset ,  
Strenuitas vixit : Daunus discessit , obivit .  
Discessu grati ergo ducis torpentque , jacentque  
Austriaci , & pugnam detrectant pene ciere .

Crevit

Crevit & hic sensus, veluti nox crevit adulta,  
 Ob cuius tenebras oculis fuit usus ademptus;  
 Victor & obtento de pulvere Martis abivit.  
 Extollant alii Daunum, quia saepe triumphos (23)  
 Duxerit: extollam, quoniam victoria parta  
 Interiit, quando vicitrii excessit arena.  
 Hic suus excessus palma sublimior omni:  
 Hic aperit, qualis praesens fit, qualis & absens.  
 Tunc animum arrexit Borussus, & acrior audet. (24)  
 Nam simul ac rumor Regis pervenit ad aures,  
 Saucius ex acie quod adactus cedere Daunus,  
 Protinus exclamat. Vici vincemus. Abactus  
 Percussus dum pastor, oves dispergite fusas.  
 Accidit Austriacis exin fors altera laeva.  
 Tempore dux aliquis venit Borussus, & addit  
 Intactas, multaque acies, tria millia quina  
 Qui supra capitum fuerant; rectaque petivit  
 Appositos pugnae montes: horumque sub iectu  
 Austriaci adstabant, quem grandia fulmina mittunt.  
 Sic quia subsidium jam tale accesserat hosti,  
 Et locus infestus, jaculisque obnoxius esset,  
 Austriadum primis ducibus discedere visum  
 Consilii est; abitus & tessera didita turmis.  
 Hae capiunt sua vasā, simulque hostilia signa  
 Plus quadraginta, & juvenum plus millia quina  
 Dedita, trajiciunt & junctum pontibus Albiin (25)  
 Non tamen id praestant omnes: pars plurima fistit  
 Cis fluvium, jussit secum quam Lacyus esse.  
 Perspicuum hic porro patuit, Divaeque Parentis  
 Auxilium nituit liquidum. Dum pergit ad amnem  
 Austriacus, fractis animis fortasse, metuque  
 Sollicitus, ne Borussus post terga sequatur;

E latebris silvae sub eodem hic tempore prodit;  
Prodit & orta dies foedae spectacula cladis,  
Exhibuitque oculis, hostesque urgere volentem  
Attonuit: jussu magnae timor inde Parentis  
Crevit in immensum; strages & magna licebit  
Extiterit, cunctis est plusquam maxima visa.  
Caesorum montes, & orentia stagna cruxis,  
Et trajectorum questus, vocesque dolentum  
Qui firmis oculis, patula qui posset & aure  
Haurire, est penitus nemo: stat lumina retro  
Vertere, & ad miseros aurem stat claudere fletus.  
Bellipotensque vigor, qui pridem in corde caleret,  
Deserit hoc, gelidis oculis latus, & auri  
Auxilium: truncu similes haesere; suosque  
Ad socios spectant, digito quibus indice, nutu  
Vel capitis stragam monstrant, nilque amplius audent.  
Sic lea cum valida luctata ubi tygride, cessant  
Denique, quod lacerae vel dente, utraeque, vel ungue,  
Digressaeque sedent: ultum contendere vellent;  
Lambere & acceptas plagas, praefatque cruxem.  
Hinc parcunt: subit ira, silet sed abacta pavore;  
Altera ob alterius vim quippe timetque, timetur:  
Quas stupor, atque dolor fistit, prohibetque moveri.  
Hussaridum non ullae acies fortasse secutae  
Injussu, vel jussu etiam, speculentur ut omnes  
Ad liquidum, an properent Albim transmittere, retro  
Austriadae an redeant pugnam instaurare volentes.  
Cum novus hic annus post saevi exordia belli (26)  
Appetiit sextus, variis pars utraque curis  
Huc, illuc distracta fuit, spe nempe, metuque.  
Qualis in Oceani campis depensa carina  
Ventorum adversis animis tremit icta, timetque,

Unda-

Undarum impaetas moles & frangere sperat.  
 Sic varios inter sensus Europa natavit  
 Tota diu, nivibus vel terra incanuit altis,  
 Vel postquam herbarum est, florum vel amicta colore,  
 Aut ubi maturis induita effulsit aristis.  
 Haec studia at deum Laudon disjecit, ob auetam  
 Spem priscam Austriacis, Brandenburgisque timorem.  
 Nec valeam, & frustra est Laudoni attexere laudes:  
 Adjiciunt illi plena facta inclyta, mentis  
 Lumine si libes, nomenque has suppetit ipsum.  
 Quidquid agit, jures omnes excedere laudes:  
 Nomine compellas, laus integra prodit ab ore.  
 Russiaca gentis turmas acceperat ille (27)  
 Maturo properare gradu, sua jungere possent  
 Austriacis ut signa: simul sed nuntius aures  
 Perculerat, rapido Borussum tendere cursu,  
 Majoresque acies equitum celerare jubentem,  
 Pollicitumque sibi sic plane affligere Russos:  
 Quis pedes invictus, non juxta equitatus: equorum  
 Quod minime compacta foret, nec copia firma,  
 Praeterea & parvus numerus. Tum mascula virtus  
 Incaluit sub corde viri. Juvat ire, morasque  
 Praecipitare: juvat se se ultro offerre periclis,  
 Auferat ut socios. Ut percita tygris ab ira  
 Mitior in fures, & tardior involat: urit  
 Segnior exermes catulos & cura tueri:  
 Ac secum exarsit Laudon, & pergere gestit.  
 Nec mora fit: jussae plus quadraginta cohortes  
 Corripuere viam: partim calcaribus iectos  
 Ad cursum alipedes adigunt, partimque feroci  
 Voce monent: ideo non longo tempore metam  
 Propositam tenuere; fugae celer impetus illud,

Ut

Ut longum, contraxit iter, spatiisque voravit.  
 Aeris in campis nubes ita cernitur ire,  
 Ocyor & ventis revoluta excurrere Coelo.  
 Post ubi deventum est, acies tunc utraque faustis  
 Officia explevit dictis. Et clarus utroque  
 Officio Laudon, ut in hostem irrumpere vultu  
 Terrifico, placidae obsequio sic frontis amicis  
 Blandiri, Russae legatum gentis adivit,  
 Cui Butturlino patrium cognomen, & inquit.  
 En tibi sum praesto, sed nomine militis uno,  
 Non ducis: & quidquid jubeas, implere paratus.  
 Ille refert grates, titulo seque obtulit aequo.  
 Consensu unanimi laevam tum pergit in alam  
 Russiadum Laudon; inhiatque, incessat ut hostis.  
 Hic vero Austriadum nimbos ubi vidit equestris,  
 Haud modo conceptam spem laeto haud corde triumphi  
 Exerit, ambigui succedit at alea casus.  
 Hinc sese recipit, rupes atque abdidit inter.  
 Sic etiam Nomades, conspecta tygride flamas  
 Evolente oculis, spumas & ab ore vomente,  
 Se procul abripiunt celeres: ut parte dolentes,  
 Quod praedam amittant, sic laeti parte, quod ipsi  
 Haud praedae fuerint, mortemque evadere possint.  
 Qua Borussiadae pergunt, est pone secutus (28)  
 Caesareus miles, quem miserat Austria, quemque  
 Russia; nam miles propriam veneratur uterque  
 Augustam; quarum virtus totum occupat orbem,  
 Virtutisque jubar vestit, redditque superbum,  
 Esse sibi geminas dum suspicit Heroinas.  
 Ast, iter intendat quamvis exercitus ille,  
 Non tamen assequitur. Borussicus ocyor ire  
 Contendit, relegitque viam, qua venerat ante;

Obstruit & saxis, silvarum & strage relectam.  
 Ac simul in rupes adiit, licet invia nato  
 Ingenio fuerit statio, munitior ante est  
 Reddita, tot surgunt turres, fossaeque profundae  
 Desidunt: alas humeris attexere binas  
 Debuerat, quisquis cautes superare parasset.  
 Et lucri spes parva quidem, spes plurima damni  
 At suberat, qua labrum ingens, saxique crepido:  
 Advectata illuc sedere tonitrua belli  
 Aut magna, aut parva, & numero quamplura fuere.  
 His animadversis, pugna legatus uterque  
 Abstinet infausta. Sed copia magna quod esset;  
 Nec bene suppeterent tantis alimenta catervis,  
 Illic castra diu si figeret utraque pubes.  
 Propterea Russi terras adiere Polonas  
 Haud omnes, inibi non parva at parte relicta.  
 Alter ab alterius regione exercitus illic  
 Firmus uterque stetit diurno tempore: tandem  
 Incidit in mentem Borusso excedere: quoniam  
 Respectu dubium est: dubium de pectore tale  
 Ast ego rejiciam: quin ausim dicere, quidquid  
 Conjiciam; a meta nec multum forsan oberrem.  
 Auxiliu Regina potens, res prorsus in omnes  
 Cui dedit imperium rerum Deus arbiter unus,  
 Ut Borussacus statione excederet, auctor  
 Illa fuit: nutu illius nova taedia torquent,  
 Et nova Borusses urunt fastidia clausos  
 Horrendas inter tam longo tempore rupes  
 Veris ab exuviis nudas, atque omnibus orbas  
 Divitiis, Autumne, tuis: piget esse sepultos:  
 Ire juvat; sed, & a canis erumpere saxis  
 Sole percussis, rabidoque ardentibus aestu,

Et

Et petere irriguos campos, ubi prodiga tellus  
 Exhibit & flores, & poma cadentia ramis,  
 Atque ubi liberior, Coelique salubrior aura.  
 Id desiderium vulgus perrepit in omne,  
 Idque supercilie, contracta & fronte, querelis  
 At tacitis produnt, transmissa & lampade mussant.  
 Jam satis adstitimus menses ad quinque tueri;  
 Jam satis ignavi Svaidnitzae assedimus urbi.  
 Haec ubi collegit cauti solertia Regis  
 A moestis oculis, habitu moerentis & oris,  
 Excelsum pietas animum penetravit, amorque:  
 Est sibi quandoquidem rara indulgentia, votis  
 Militis ut faveat, fratrum quos nomine dicit.  
 Propterea excessit: neque enim fore duxit, ut olim  
 Ex nec opinato Svaidnitzam invaderet ausu:  
 Si contra obsidio Laudon complexus obiret,  
 Venturum auxilio se fulminis ilicet instar,  
 Castra irrupturum, straturumque agmina clade.  
 Haec igitur Regi postquam sententia sedit,  
 Annuit, ut turmae moveant, alioque faceant.  
 Atque ita vasa legunt; verum inter vasa legendum  
 Est rata gens votis animi indulgere: sed una est  
 Nescia, se votis magnae servire Parentis.  
 Quo facto optatam Laudoni praebuit ansam, (29)  
 Ut clandestinus moveat, potiatur & urbe.  
 Rex ergo excessit, Laudon sed constitit illic,  
 Dum belli egregium facinus sub peccatore coxit.  
 At quod ad effectum minime duxisset, ibidem  
 Si Borussiaci tota agmina Regis adessent:  
 Quem vigilem quivis se fallere posse negarit:  
 Si procul absuerit vero, Svaidnitzam petenda.  
 Haudquaquam obsidio longo, plenoque pericli,

At subito assultu palmas, aut damna ferenti.  
 Hoc ubi decrevit, facilisque est creditus ausis  
 Exitus, haud propriae voluit confidere mentis  
 Judicio: paeclarla viri sapientia norat  
 Ingenitum nobis, fuerit res ardua quamvis,  
 Dicitur haec veluti nullo cum pulvere ludus,  
 Si desiderio enixo cupiamus adeptam:  
 Difficilis, multaque opera expugnanda, manuque  
 Creditur, invitatis quando vereamur ademptam.  
 Ezernischenum Laudon ibi convenit ergo;  
 Et sic affatur. Russae dux inclyte gentis,  
 Et decus, & columen, cuius sub pectore virtus  
 Martia, & aequalis cultae solertia mentis:  
 Bellipotens virtus dubii discrimina belli  
 Spernit, init, superat: discrimina talia porro  
 Mens tua divinat: siquidem, quaenam illa futura,  
 Provida mens relegit specie praesentia clara.  
 Ut subito assultu Svaidnitzam invadere tentem,  
 Suspensum me cura subit, studiumque lacepsit.  
 Consilium, auxiliumque tuum redde ergo roganti.  
 Si proni eventus reris, modicique pericli  
 Assultum; precor, adde manum, fulcique labantem.  
 Ezernischenus dictis tunc infit amicis.  
 Quem tota Europe miratur ob inclyta facta,  
 Quem proprium ut columen gens suspicit Austria, cuius  
 Consilium, dextramque timet Borussus, amatque;  
 Consilium tu nempe meum, tu poscis opemque.  
 Integer arbitrio laetor subscribere; totus  
 Policeor vires omnes, meque ipse jubenti.  
 His ita transactis, ibi Liechtensteinus adesse  
 Jussus adeps; pariter praefsto est & Kinskius: inde  
 Sic placidis Laudon dictis & fronte locutus.

Flos juvenum insignis, queis claro e sanguine quamvis  
 Insita nobilitas, excelsior eminet illa,  
 Cui decor ingenitus, conserta & bellica virtus:  
 Est belli audendum facinus, quod postera nunquam  
 Credet: & ipsa fidem praesens tunc induet aetas,  
 Fulmineo Martis tonitrus cum praedicat ore  
 Rem bene transactam non multo ut sanguine: multus  
 Ast honor accedet; quoniam perfecta fit ipsos  
 Ante oculos Regis, quo nulla sagacior aetas;  
 Et procul hinc idem castris qui dissipatus unis  
 Ite: sit auspiciis vestris Svaidnitza subacta:  
 Ite Cunendorffum: scalas cernetis adesse  
 In promptu centum: dabitis mandata, quot illic  
 Sunt praestato artifices, per amica silentia noctis  
 Huc taciti advectent. Si nemo id senserit hostis,  
 Si dolus ignarus fuerit, Svaidnitza recepta est.  
 Sollicito Princeps cursu contendit uterque;  
 Et veluti jussi fuerant, mandata faceſſunt.  
 Quam vero intenta cura, studioque sagaci      (30)  
 Interea cavit Laudon, abscondit & astus;  
 Ne levis illius sensus perrepat ad aures  
 Hostis, & excubias numero majore per omnes  
 Digerat hic muros, vigiletque accinctus ad arma.  
 Ergo Cosaccorum turmas, celeresque Croatos,  
 Hussaridumque manus campos percurrere mandat  
 Contiguos arcis; multa ratione quod actum.  
 Scilicet e castris si quis desertor abisset,  
 Ne teneat portas urbis, scalasque paratas  
 Detegat: aut illinc si quis prodixit, adeptum  
 Hunc intercipiant, jubeantque aperire diserte:  
 Ecquid praesidium, Praetor quid cogitet: anne  
 Iste excursores credat, furesque: neque ullum

Assultum timeat, vim vique repellere curet.  
 Praeterea indictum est, sicut diffusior umbra  
 Appeteret, pariterque dies contractior iret,  
 Sic illi proprius muros contendere pergent  
 Suppetias latum sociis, fastigia scalae  
 Hi postquam admirint urbi, saltuque citato  
 Insiliant, ferroque hostes, flammisque lacestant,  
 Versaque in infestos tormenta curulia volvant.  
 Consilium ut porro lateat, neu didita fama  
 Militis in vulgus serpat, captetur & ansa  
 Ambiguis animis, sacrumque inhiantibus aurum;  
 Et sensim excedant castris, doceantque pericla,  
 Quae capiti instarent hostis, regerantque catervas  
 In proprias, structi seriem frustrentur & astus.  
 Propterea indicit Laudon, exercitus omnis  
 Ut moveat, carpatque viam, Borussus ubi esset.  
 Obsequitur miles cupidus certamen inire.  
 Interea vero ille acies subsistere multas  
 Post alias alias, celeresque faceſſere jussit  
 Ad speciem: at fingant alio ſe pergere, turmas  
 Ut tegere extremas, vel quaerere pabula retro.  
 Agmine mox recto Svaidnitzam aduersus ut irent.  
 Tempore quo Coelum porro jam vertitur, & quo  
 Nox multa incubuit, terrasque obnupsit adulta,  
 Tum ſeſe Laudon fessum mentitur eundo,  
 Et lassos oculos velle indulgere sopori:  
 Inſiluit ſed adeptus equum, turmasque ſecutus.  
 Sensit equus fessoris onus, ſed pondere laetus  
 Praecipitatque viam, ſequere abripit ocyor Euro.  
 Ad Svaidnitzam ergo venit ſub tempore Laudon, (31)  
 Cum primum applicitis ſcandebat moenia ſcalis  
 Pars aliqua Austriadum, verum pars altera major

Affultum commenta fuit circum undique muros,  
Urbs quibus ambita est, fremitu, clamore, tubisque;  
Et scalas mentita suas appellere pinnis.  
Sic definierat Laudon nam callidus ante,  
Hostis ut effusas vires dispesceret, utque  
Sic ubi distinuit, non junctae accurrere possent,  
Qua verum assultum mox destinat Austria pubes.  
Ad speciem hanc solum pugnam direxit Janus;  
Bellipotens virtus, mens cuius & infacia falli  
Hostis ubique fuit terror, columenque suorum.  
Jam vero admotae silvae, jam vertice summis  
Moenibus adjectae, clavo fixaeque trabali.  
Aspiceres, fuerit si copia facta per umbras  
Noctis in immensum nebulis undantibus auctas,  
Austriacos illic, illinc evadere Russos,  
Atque gradus multos transmittere simplice gressu.  
Aemula nec virtus tantum flagrabat utrasque  
Austriacas inter gentes, Russasque, sed inter  
Vel patria ex ipsa, vel eodem germine natas.  
Omnibus unus amor calet, omnibus una cupido,  
Ut celerent primi, socios post terga relinquant,  
Ejiciant hostes, muro potiantur adepto,  
Et sua murali praecingant tempora serto.  
Sunt quoque, qui se se manibus suspendere, quique  
Praegressos ausint socios urgere retrorsum.  
Sunt quoque, ductorum queis est reverentia parva,  
Jam praetervectos ultra si forte morantur,  
Aut ne praetereant, inhibent, abiguntque lacertis.  
Tum mage festinat miles, contendit & ire;  
Et nota increpitus, castigatusque loquela,  
Ambiguam excusat noctem, causatur & umbras,  
Ignotosque ursisse sua non sponte fatetur.

Et

Et quid mira fides? Dum rexit Amadeus omnes (32)  
 Quattuor assultus in turres quattuor urbis,  
 Quosque foveat calidos bellaci pectore sensus,  
 Ingerit in socios, & inertes reddidit acres,  
 Germanosque sibi, contemptoresque pericli.  
 Qua patet, & muris propugnaclisque coronat  
 Contiguos campos urbs illa invicta, per omnes  
 Strenuus hinc Laudon excurrit, Amadeus illinc.  
 Atque ubi conspicui lunae sunt luce maligna,  
 Qua pugnae ambiguae verum discrimin initur,  
 Irritant gestuque manus, aut indice vocis  
 Murum invadentes, inscendentesque catervas.  
 Contra ea, sed speciem qua pugnae ostendit Ianus,  
 Hic fistunt, clareque jubent; geminentur adusque  
 Astra Croatorum Pandurorumque ululatus,  
 Tympanaque, lituique crepent, clangorque tubarum,  
 Et sclopettorum, tormentorumque boatus..  
 Ut jussa, exequitur pubes, & dicta facessit  
 Horrisonas voces, & rauca tonitrua Martis  
 Accipiunt vigiles, clamant & ad arma frequentes.  
 Hostis adest, socii, properate, insidite muris.  
 Propterea accurvunt illuc, quo tendere jussi,  
 Et Borussiaci rident mendacia falsi.  
 Nam procul aspicitur tantum, prope nullus at hostis.  
 Dum vero illudunt, falsis convicia dictis  
 Dum jacint, captos iterant & lumine mentis;  
 Ecce tibi, quamvis muri vox rara per orbem  
 Accipitur: bombi, quos aenea fundit arundo,  
 At resonant, fumusque evolvitur ater ad auras:  
 Inter & hunc lux, parva licet, sed crebra coruscat.  
 Sicut & Austriaci duxere silentia, questus  
 Sic Borussiadae traje<sup>c</sup>ti haud edere cessant.

Quattuor in pyrgos autem impegere cohortes  
Ductores totidem exemplis & voce monentes.  
Wallis, Odonellusque, manu praeclarus uterque, (33)  
Et turrim invadunt, Golgen quae nomine dicta;  
Invadunt, firmoque gradu tenuere subactam.  
Romelii assultu succumbit tertia moles.  
Winsus & in reliquam se saltu injecit, initque.  
Omnibus his adeo fuerat data tessera: quippe  
Intrepidos omnes Laudon jam norat, & aptos,  
Quodlibet ut praestent opus insuperabile belli.  
Hi simul ac ergo muros tenuere, sibique  
Militis addicti turmae, torsi canali  
Exiguo parvas glandes: dein mole curuli  
[ Multijugas passim siquidem videre jacentes ]  
Ignivomas jaciunt immensi ponderis ollas.  
Ad quarum tonitru, fuerat qui miles in urbe,  
Seu quibus excubias mandatum est munus obire,  
Seu quibus ignavos oculos nox clausit adulta,  
Sunt experrecti, & cuneos pro tempore plures,  
Sed parvos struxere: student occurrere: verum  
Aut quibus, aut quorum, dubium est: partim ergo feroce,  
Et partim timidi vadunt, redeuntque, manentque  
Suspensi: quoniam par ingruit undique terror  
A fronte, a tergo, a dextra, pariterque sinistra:  
Undique clangores, flammæ undique, & undique clamor.  
Incidit his cuneis ductus miro ordine miles  
Austriacus, quantum patitur via lata, vel arcta:  
Et leni procul ingeminant, & voce minanti.  
Projicite arma manu, captos vos dedite: certa  
Sic venia accedit: petet ensis at ense petentes.  
Ad Borussorum vox talis ubi accidit aures,

Degeneres sensus animis haufere supinis.  
 Qui timidi, gaudent, quoniam modo tela relinquant,  
 Libertas ut adempta foret, sit libera vita:  
 Pileolumque manu submisso vertice tollunt.  
 Id se dedentis quippe est nunc temporis index.  
 At quibus exarsit tumido sub pectore virtus  
 Bellica, laetantur, certos reperere quod hostes;  
 Ut pugnant alacres, laevi nec signa timoris  
 Exhibeant: juvat ire, juvat pede praelia presso  
 Conserere, hostili mercari & sanguine mortem.  
 Mors ea, contingat ni prorsum ingloria, cordi est.  
 Hinc nudant gladios, nudos adiguntque, rotantque  
 Turbine perpetuo, seque implicuere catervas  
 Austriacas inter. Tum vero his mascula bilis  
 Aestuat, irarumque jecur laxavit habenas:  
 Unanimi jaciunt & dicto talia. Temnunt  
 Qui veniam, venia caedes toleranda negata.  
 Incubuere, adiguntque incussum fulmine ferrum,  
 Et tempestatem calamo sudere pilarum.  
 Tunc hostis veniam, sed nulla est sero roganti.  
 Hi habeunt, pugnamque crient, rectaque feruntur,  
 Qua comitum statio longe numerosior adstat.  
 Interea vero, quoniam jam bina pateret (34)  
 Janua; tormentis belli quarum altera fracta,  
 Alteraque assiduo lacerata bipennis ab ictu;  
 Hanc iniit Laudon, seque inveit agmine recto,  
 Qua major fremitus, qua pugna calentior ardet.  
 Miles & allectus, vel pene libidine caedis  
 Ebrius exclamat sic ferri ad quoslibet ictus.  
 Theresia o vivat semper, gens Austria vivat!  
 Et pereat, qui crebra serit bella insita bellis.

Tem-

Temporis hoc puncto Laudon devenit eodem,  
 Fulmineumque manu gladium erigit, & tonat ore.  
 Vincite viatores, vosque ipsos vincite primum.  
 Parcite, queis poscunt veniam: se quisquis in ira  
 Obstinet, emerita stratos involvite clade.  
 Congeneri miles quivis tum subjicit ore.  
 Ne dubita, o Laudon, tua iussa facessere cordi est.  
 Ejus ad aspectus, & amata tonitrua vocis  
 Austriacam in gentem sicut vigor ingruit: aequa  
 In Borussiacam terror: timidique ferocesque  
 Unanimi velut ore rogant. Oh parcite viatis!  
 Est hic si Laudon, sponte illi dedimur omnes;  
 Vertimus & decori nos illi dedere posse.  
 Projiciunt ergo arma manu, captosque fatentur:  
 Scilicet: audito Laudonis nomine tantum,  
 Conspectisque oculis umbras fulgentibus inter.  
 Protinus ille furor Borusso in corde resedit,  
 Viatus honoris amor, vindictae expulsa cupido.  
 Sic ubi spumanti bacchantur in aequore fluens,  
 Si pluviae inciderint, placidae siluere procellae,  
 Et ponti facies campis insternitur aequis.  
 Res ita transacta est, totam transegit & hora  
 Tertia, quae nondum completa exisse putatur.  
 Ac, Borussiaci quam magna potentia Regis, (35)  
 Exhibuit Svaidnitza: sinu tot clauerat arma  
 Omnigenae formae, & varia gravida horrea messe.  
 Quid mirum? Europam quando oblitus in omnem  
 Arduus, ad senos & bellum distulit annos,  
 Ut sibi nil timidus, multis sic causa timoris:  
 Seu victor, viatusque, fuit sibi congener usque  
 Strenuus, infractus, constansque in pectore virtus.

Bis supra centena inibi tormenta latebant  
 Bellica majoris formae, formaque minoris  
 Forsitan aequali numero, manualia dicta,  
 Quod possint tractare manus; hisque omnibus orbes  
 Tartarei addicti, valeant qui condere montes.  
 Pulveris immensi vis plusquam immensa: canales  
 Ex ferro longe plus octogena jacebant  
 Millia, queis perae nitro plumboque tumentes.  
 Dihuvium Cereris faxi sub pondere pinsae;  
 Arte laboratae, & calida fornace recoctae,  
 Qui numerum excedat, numerus: tum copia foeni,  
 Et paleae, & quidquid magnus grex poscit equorum.  
 Denique tot species inibi, totque ubera rerum,  
 Congeriesque aderat, belli quas exigit usus.  
 Quod plene instructus foret inde exercitus ingens;  
 Nudus ut a spoliis, penitusque exermis adisset,  
 Ad mensam accubuit, captae cum nuntius urbis  
 Est Regi allatus. Stetit ille immotus, & haesit,  
 Haud secus ac aliquid magni sub pectore volvat:  
 Mox cyathum infracta dextra complexus, & ore  
 Imperturbato sic protinus infit, ubi hausit.  
 Vive diu, Laudon, nam vivere jure mereris.  
 Circumfusa ducum stupuit mirata corona  
 Ad dictum, & propria surgentes sede reponunt.  
 Vive diu, Friderice, diu plus vivere dignus.  
 Amissae, captaeque urbes sunt alea fortis,  
 Heroosque animos extra: mirabile robur  
 Est animi, virtusque tui, non laetus adepta  
 Qui fuit, & pariter Svaидnitzhaud tristis adempta.  
 Idem animus, vigor idem animi, vis prisca vigoris  
 Constatbit, similisque sibi, nec deneger unquam.

Si

Si capiti inciderit Svaidnitza, vel oppida centum,  
Fraetum corpus erit, mens prorsum infracta manebit.  
His dictis, veluti increpisset buccina signum,  
Corripiere simul cyathos, vinoque coronant,  
Faucibus & siccant alacres, Regique propinant,  
Reddenti grates animo facieque serena:  
Nam suberat spes multa sibi rursum urbe potiri;  
Ut rursum evenit, sua spes nec vana fefellit.  
Nam simil appetit veris tractabilis aura,  
Quam Rex impatiens, & anhelo est corde moratus,  
Continuo movit, festinoque agmine tendit:  
Atque iter invadit celeri pede primus, an haufit?  
Nec via longa diu, nec devia, & invia tefqua,  
Vel salebrae arreetae, vel acuta cacumina montis  
Armati telis, numero & milite teeti  
Distinuere, moras aut injecere: timendas  
Aggreditur rupes, crebrisque assultibus instat.  
Miles & Austriacus quamquam sibi strenuus obstat.  
Sub duce Brentano, Brentani animatus & ausis,  
Doctus & exemplo coeptis absistere tentet;  
Omnia sunt frustra; numero vel quippe minori,  
Vel quia defecit stygius sibi pulvis, abivit,  
Et juga deseruit communi imbuta cruento.  
Occupat haec, hilarique gradu transmittit, aditque  
Rex campos, foret unde sibi prospectus in urbem. (36)  
Constitit hic autem partim blandusque minaxque;  
Atque ait. Incolumis mihi quondam erepta fuisti,  
Infelix Svaidnitza: tui miseretque, pigetque;  
In nostrum arbitrium quoniam lacera, usta redibis.  
Haec ubi, digessit justa statione cohortes,  
Ut belli nova norma docet, quas fossa, penesque  
Hanc

Hanc fossam erectus tumulus telluris obibat.  
 Tum super aptantur plusquam muralia centum  
 Fulmina, tempestas quorum mox verberet urbis  
 Moenia, ad assultum patulos ut pandat hiatus.  
 At mihi quis venis horror subrepit, & unde  
 Dirigit gelido concretus frigore sanguis,  
 Defecitque animus, pallorque invasit in artus?  
 Haeret in ore mihi, nescitque erumpere cantus,  
 Genva labant, digitи vibrant, plectrumque chelysque  
 Injussu cecidere, chelysque effracta dehiscit;  
 Algescuntque, hiemantque, & singula membra rigescunt:  
 Quodque fidem supra est, flamarum ubi mutua fervet  
 Horrida diluvies, auramque obnubit, & urit,  
 Terreor hic unus, glacie velut obrutus essem.  
 Evenit mihi tale aliquid, quando hospes adivi  
 Felices Capreas, ubi crater visitur arctus  
 Aequoris e templi priscae regione Minervae.  
 Hic saepe adversos vidi concurrere ventos  
 Faucibus impactos, quas erigit insula, quasque  
 Vel Picentini colles: allisus utrisque  
 Aut Notus, aut Boreas resilit, moxque impete magno  
 Incidit, invaditque sinum crateris; ibique  
 Alter in alterius furias bacchatur, & omnes  
 Exerit Aeolias utriusque protervia vires.  
 Et quoniam alteruter minime succumbit, in undas  
 Saevit uteisque fremens, cumulosque attollit aquarum.  
 Hos. equidem in Coelum cum vidi evadere, canas  
 Et spumas agere, & valles subsidere in imas,  
 Inde & ab integro liquidos emergere montes,  
 Obrigui, avertique oculos, alioque refugi:  
 Nam timui, obruerent ne me saxa alta tenentem.

Quod


Quod mihi tunc illic pelagi grassantis ab aestu,  
 Id vel nunc gemino contingit ab agmine flammae.  
 Hinc parcam obsidium Svaidnitzae intendere chordis:  
 Ut mihi nam primum studium est, ita copia nulla.  
 Copia num porro suberit, libare curules  
 Tot valeam ut moles vulcania tela rotantes,  
 Militis & rabidas furias properantis in urbis  
 Assultum, rimasque una non parte patentes?  
 Copia tum ferme fuerit sub pectore nostro  
 Hoc si tot caleat, moles Aetnaea quot ignes  
 Torquet agens: quivis miles quo fervet ab aestu.  
 An potius scintilla mihi simul unica detur,  
 A Borussiaci Regis fornace redundant  
 Quae nimia; auxilio cuius juraveris actum,  
 Sub Jove quod senas hiemes versatus, & usque  
 Intrepidis idem pedibus glaciemque nivesque  
 Contuderit; non ulla pedes impilia quamvis  
 Induerint, villosa licet non corpus abolla  
 Texerit; exomis sed pene gregaria, quaeque  
 Vix genua occuluit prisco de more Laconum.  
 Quae vero obrepfit menti male sana libido?  
 Queis nunquam acciderint, stulti est intendere curas.  
 E pinnis Svaidnitza suis canentia signa  
 En demum explicuit, se victam & dedere fassa est:  
 Nec porro temere, muros dum spectat hiantes  
 Multijugis rimis, aequatam & rudere fossam,  
 Pandentemque aditus cuicunque irrumpere vellet.  
 Vedit, & obstupuit tale extra moenia damnum,  
 Majus at externum; passim fumantia tecta,  
 Et conflagratis pessum considere tignis:  
 Tum late in superas auras incendia volvi;

Abstrac-

Abstractasque procul ventis dispescere flamas.  
Intus & exterius tot damna ut viderit illa,  
Tum metus incubuit gravior, per viscera terrae  
Pessima ne veniat clades exorta cuniclis.  
Exitii cumulus sed longe infensor intus:  
Praesidium mutilum, mutiloque angustia rerum,  
Copia quas poscit Cereris, Martisque. Rogavit  
Hinc dedi ut liceat, non fese dedere fasña est.  
Hic exoratus porro Deus optimus, almae  
Matris ab Auxilio votis indulxit: & inde  
Ortus pacis amor gentes subrepit in omnes.  
Gallia vult pacem, vult pacem Hispania, pacem  
Anglia: vult aequa Borussia, & Austria pacem.  
Pax inita est: sit firma, precor, constetque perennis.  
Vi pacis sint quamquam aliis sua perdita regna,  
Austria nil veluti parti, nil sensit adempti.  
Hoc opus Auxilii Dominae; quod sola relicta  
Theresia haud primae terrae concesserit ulnam:  
Quodque habuit bella ante, sibi post bella tuetur.  
Imperii Proceres se neutros esse professi  
Jam fuerant, viresque suas adhibere negabant;  
Et Galli haud poterant iusto pro foedere multas.  
Contra ea tum primum Borussia reddita Regi,  
Captivaeque acies, plus millia quina virorum,  
Atque instrumentum, & belli numerosa supellex  
A Russis; Russique novo sibi foedere juncti:  
Creditaque hinc talis metuenda potentia cunctis.  
Theresia, his autem positis, nisi laeta triumphis,  
Et non moesta fuit: pax quippe ingloria nulla  
Paeta, nec addictis ulli regionibus empta:  
Quodque sui fuerat juris, sibi constat, habetque.

Aft

Ast age; non tantum quidquam deceſſit avitis  
 Theresiae ex regnis; ſed multum e pacis oliva  
 Accessit lucri: de termite laurus olivae  
 Edita, Josephi Nati quae tempora vinxit;  
 Et trabea exorta eſt, texit quae terga merentis,  
 Ac Romanorum quae multa inſignia Regis.  
 Munifica haec adeo fuerit cum pacis oliva,  
 Eſt bene ſeptenos bellorum educta per annos:  
 Bella juvant, tantum ſi lucri in pace tulerunt.



FLORENTIAE MDCCCLXVIII.

Typis Jo. Baptifte Stecchi, & Antonii Josephi Pagani.  
*Praefidum permiffu.*

EDITIONIS MDCCXVII.